

243c. *O. chelidonizon* Kränzl. n. sp. — »Pseudobulbi, 40 ad 15 cm longi, 5 ad 8 cm lati, ovati, subcompressi, pallide virides. Folia subcoriacea, manifeste 7- ad 11-nervia, lorata, acuta, ad 60 cm longa, 4 ad 5 cm lata. Inflorescentia paniculata, metralis vel sesquimetralis, rami 20 ad 25 cm longi«, pauciflori, floribus valde distantibus, bracteae minutae, triangulae, vix prominulae, pedicelli cum ovariis tenuibus ad 4 cm longi. Sepalum dorsale ovato-lanceolatum, acuminatum, apice recurvum, 1,5 cm longum, sepala lateralia lineari-lanceolata, longe acuminata, subparallelia, apicibus divergentia, 2 cm longa, caudam hirundinis aemulantia. Petala e basi ovata angustata, acuminata, cum sepalis cruciata, alarum instar expansa, 1,8 cm longa, basi 4,5 mm lata, omnia margine paulum undulata. Labellum basi cordatum, lobi laterales parvi, rotundati, isthmus fere quadratus vel trapezoideus, lobus intermedius basi profunde cordatus, suborbicularis, apiculatus (non sinuatus vel bilobus), crista labelli quasi duplex, utrinque tridentata, cui imposita est superior triangula, antice acuta, totum labellum 1,4 cm longum, basi 8 mm, antice 10 mm latum. Gynostemii alae fere obsoletae, vix prominulae, tabula infrastigmatica haud prosiliens. Sepala, petala, labelli basis cinnamomea, apices phyllorum lutei, pars anterior labelli primum alba, deinde lutea.

Zentralamerikanische Provinz. Costa Rica: San Ramon längs des Rio Grande (Endres ohne n.!).

Nota. Nomen *χελιδονίζων* aptissimum mihi videtur, quod petala alas, sepala lateralia caudam, gynostemium caput hirundinis volantis felicissime aemulant. Diagnosis partim e notulis cl. Endres sumpta est, egomet solummodo ramum inflorescentiae vidi, flores 6 gerentem, feliciter optime conservatum.